

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
LEGATVM TRANSLATVM
EX TESTAMENTO
IN CODICILLOS INVALIDOS
INVOLVAT LEGATI
ADEMPTIONEM

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XXIV MARTII ANNO MDCCCCLXXV.
DEFENDET
ERNESTVS LIEBEGOTT BRÜCKNER
GROSHENNERDORF-LVSAT.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

Diss. jur. civ.

307,40

UNIVERSITÄT
LIBRARY
EX LIBRIS
D. CH. ...
IN ...
D. ...
EX LIBRIS





AN
LEGATVM TRANSLATVM
EX TESTAMENTO IN CODICILLOS
INVALIDOS INVOLVAT LEGATI
ADEMPTIONEM

§. I.

C De hac iam olim controuersia scripsimus, *an omnis legati translatio inuoluat ademptionem*, et, quod sunt species traslationis, dedimus. PAVLVVS quidem in *L. 6. π. de adim. vel transfer. legat* quatuor modos transferendi legata exposuerat, sed noua eaque quinta species nobis visa est latere in ea specie, quam ille ipse PAVLVVS exhibuit in *L. 97. π. de Acqu. vel omittend. heredit.* ex decretis Imperatoris. Transtulerat enim Clodius Clodianus hereditatem ex priori testamento perfecto in testamentum inutiliter factum posterius, et cum posterius testamentum haud valeret, translatio quidem hereditatis nulla erat; at cum translatio inuolueret ademptionem, ademta erat heredi hereditas, hinc ipse Clodius Clodianus intestatus decesserat. Iam ad aliam speciem veniamus.

§. II.

Scilicet condidit testator testamentum inque illo legatum reliquit Sempronio, post codicillos conficit illudque legatum transfert in codicillos, sed inutiliter factos, quaerendum est, an legatum videatur ademptum. Non videtur satis exposita quaestio, ut possit vna responsione decidi. Distinctius ergo diuersae species tractandae, et maxime videndum est, an quod testamento datum, codicillis adimi possit.

§. III.

Si ex argumento decidenda est quaestio, facile quis adferat, non posse adimi codicillis, quod testamento legatum est. Cum enim testamentum lex sit a testatore suae familiae lata, sic quod legatum est, ut lege datum sit, quomodo solis codicillis, quibus nec legis vigor, nec forma data, adimi poterit. Sed salua res est, et legis autoritas legatorum fideique commissorum ademptionem haud improbat codicillis factam. Quidni enim liceat ei, qui suae familiae legem dixit, eandem reuocare, semper enim testamentum lex tantum priuata est, quae ultimam voluntatem continet testatoris, cuius morte demum obligandi vim accipit, si mutata non sit voluntas, quae libera seu ambulatoria esse debet ad extremum vitae punctum, imo si aditione hereditatis ab herede agnita. Hinc *SCAEVOLA* in *L. 37. §. 1. π. de Legat. III.* recte in hac causa pronunciauit, scribens: *Qui testamento heredem scripserat, Maeuio ducenta legauit: et fidei eius commisit, ut centum daret Glauce Tyche, Elpidi autem quinquaginta. Postea Maeuius volente testatore literas emisit ad eas, secundum voluntatem testatoris restitutum. Postea testator fecit codicillos: quibus et hoc praecipit, ut praeter codillos, si quid aliud prolatum esset, non valeat. quaesitum est, an Maeuius, qui ducenta accepit,*

accipit, quia mutauit voluntatem de ea epistola testator, a mulieribus conueniri ex causa fideicommissi possit. Respondit, secundum ea quae proponuntur, frustra Maecium conueniri, siue ducenta, siue praedium pro his accepit. Fragmentum hocce, quod ad ea quae difficiliora, exposuit s VERIN. Repetit. Lektion. cap. IX. Satis nobis sit, concludi posse ex eo, adimi posse, quod datum testamento, codicillis. Alias probationes ex LL. lubens omitto

§. IV.

Posito ergo hoc, distinguendum videtur amplius in causa nostra controuersa, an sermo sit de sola illa translatione ex testamento in codicillos, eodem manente legatario, an vero ea translatio ex testamento in codicillos in aliam personam facta sit. Quod si ergo codicilli illi validi sunt et iure subsistunt, et testator ita scripsit: CENTVM QVAE TITIO TESTAMENTO LEGAUI, HIS CODICILLIS EIDEM DO LEGO non videtur translatio, quam potius repetitio illius liberalitatis, quam testator testamento declarauit nouae quae illius confirmatio. Sed in hac specie nihil de ademptione continetur, neque ad nostram quaestionem sese refert.

§. V.

At quid? si illi codicilli iure non subsistunt, utpote si testator non adhibuerat quinarium testium numerum, an ademptio videtur latere in illa translatione ex testamento in codicillos facta inualidos. Dubium omnino videtur, cum inualidi codicilli nulli sunt, id vero, quod nullum est, nullum effectum producit, hinc non videtur legatum ademptum, cum adhuc in testamento, cui per codicillos vis adempta non est, extet legatum. Dein codicillis magis videtur confir-

masse testator legatum, vt exinde immutatio voluntatis illius, quae tamen ad adimentum legatum necessaria videtur, vix colligi possit; licet codicilli postea appareant inualidi.

§. VI

His tamen non obstantibus rationibus puto etiam in hac causa translationem continere ademptionem, vt legatarius legatum petere non possit. Nam quamuis posteriores illi codicilli inualidi sint, et hinc nulli videantur, neque effectus aliquis ex his capi possit, tamen voluntatis testatoris indicium esse possunt. Et verum est, ratione translationis non posse dici, quidquam egisse testatorem et inde translationem inualidam esse, cum codicilli inualidi sint, at ad ademptionem sola voluntatis testatoris immutatio sufficere videtur, quae abunde satis apparet, cum noluit testator, vt ex testamento peteret legatum legatarius sed ex codicillis, ex quibus nihil peti poterat, cum translatio inualida esset. Dein, quod codicilli videantur confirmasse testamentum intuitu legati, nihil confert ad contrariam sententiam confirmandam. Concedam quidem translationem factam non esse, si testator in codicillis scripsit, LEGATVM IN TESTAMENTO TITIO RELICTVM HIS CODICILLIS QVOQVE CONFIRMO, vt exinde appareat, testatorem non transulisse legatum; at si vero codicillis, quos, cum post testamentum conditi, PAVLVVS in *L. 8. pr. π. de Iur. Codicill.* per fideicommissum confici dicit, legatum reliquerit, quod prius testamento dederat, satis apparet, noluisse testatorem, vt ex testamento petat, sed ex codicillis, et hinc, si codicilli sint inualidi ademptum videri, quamuis translatio haud valeat, cum teste VLPIANO

in

in *L. 3. §. 11. π. de Adimend vel transferend. Legat. nuda*
testatoris voluntas ad adimendum sufficiat.

§. VII.

Confirmat amplius nostram sententiam, quam supra
excitauimus *L. 97. π. de Acqu. vel omitt. hered.* Quam-
uis PAVLVS de hereditate ex testamento perfecto in
testamentum posterius iure inuolidum translata dicat, nos
vero de legato ex testamento in codicillos; tamen cum
posterius imperfectum testamentum ex Pertinacis A. ora-
tione prius non tolleret, ad solam traslationem respexit
Imperator ALEXANDER in suo decreto, quod ex Paulo sub
Alexandro Seuero scribente patet, et cum ea ob testamen-
tum inuolidum inuolida esset, voluntatis tamen mutatio-
nem, quod nollet testator, vt hereditatem ex priori
testamento haberet, ad ademptionem sufficere putauit. Ne-
mo vero non videt, eandem rationem in proposita specie
adesse.

§. VIII.

At si testator in testamento Titio centum legasset,
postea in codicillis centum illa, quae Titio legauerat Ca-
tio leget, an et ademptio in illa translatione adsit, quaeritur.
Non est dubium, si codicilli sint validi, translatione, quae
valet, ademptum vtique legatum esse. Sed quid? si inua-
lidi sint codicilli, vt translatio obinde inuolida sit, an ex-
testamento agenti Titio ad legatum petendum quod, in Ca-
tium illud translatum non sit, obiici possit, quod eidem ni-
hilominus legatum ademptum sit. Neque tunc admittendum
putem Titium in legato, atque ex eadem ratione, quam an-
tea dedimus. Quamuis enim translatio facta non sit valida,
cum

cum appareat, codicillos non valere, nudam tamen voluntatis immutationem ad ademptionem sufficere arbitrabatur
 VLPIANVS in *cit. L. 3.* Hinc recte adserendum, Titium legatum hac specie petere non posse.

§. IX.

An vero et nostris moribus haec conueniant? forsan dubitari possit, quippe qui magis ad voluntates ipsas morientium respicimus, vt exitum habeant, quam ad verborum solennia. At nihilominus mallem doctrinae usum defendere. Quamquam quidem ex verbis differentibus in §. VI. quaedam coniecimus, tamen ipsae leges Romanae in hac quaestione respiciunt magis ad testatoris intentionem, quam ad verba solennia et formulas: Hinc nihil obstat, quominus haec, quae exposuimus iura, recte in foro nostro applicari possint.

